

**C**um ergo ascendisset asinum & descenderet ad radicem montis. Iuxta Hebræum habetur. Et fuit ipsa equitans super asinum & descendens in abscondito montis. hoc est per illa montis partem quæ occultabatur venientibus ex alio monte per quem descendeat David: ad pedes enim vtriusque montis occurrerunt sibi inuicem David & Abigail. & ecce David & viri eius descēdentes in occursum eius, & occurrit eis. Et David dixit: vere frustra. Iuxta Hebræum habetur. tantum ad falsitatem custodiui omnia quæ huic in deserto & nō defuit ex omnibus quæ ei quicquam, & reddidit mihi malū pro bono. Solito more prius descriptum est factum itineris armatorum: deinde narratur ratio eundi. huiusmodi enim ratio manifestatur narrando verba Davidis quæ dixit ab initio itineris quādo præcepit suis arma sumere. Et dicit tantum ad falsitatem custodiui res Nabal, eo quod & ipsum Davidē fefellit ratio quæ habenda merito erat officij eius erga res Nabal, & ipse Nabal fallens fuit pro quanto contumeliā reddidit pro officio. Hæc faciat Deus inimicū David & hæc addat. Iuxta Hebræum habetur. Sic faciet Elohī inimicū Davidis & sic addet. Modus iurandi est per imprecationem malorum. Et nomine inimicorum Davidis intelligo ipsammet Davidem: alioquin nulla esset imprecatio mali, nullūque esset iuramentum.

Sed oritur hic quæstio qua ratione licuerit Davidi iurare se occisurum tot innocētes qui erant in familia Nabal, propter ingrati tudinem ipsius Nabal & propter verborum iniuriam quis est David &c. Solutio est quod David peccauit manifeste contra legem diuinam in hac deliberatione iuramento firmata: nam diuina lege Deute. 24. prohibetur occidi filium pro peccato patris. Nec in crimine læsæ maiestatis licitū fuisse occidere filium pro peccato patris, inferius in 4. li. reg. cap. 14. manifestatur. si reliquero ex omnibus quæ sunt ei vsque mane mingentem ad parietem. Ad comprehendendam cladem omnium, etiam canes se occisurum dicit, vel etiam paruulos se occisurum dicit. canes enim mingunt ad parietem & mares humani generis.

Vidit autem Abigail Davidem, & festinans & descēdit de asino: prociditq; coram David super faciem suam, & adorauit in terra. Et cecidit ad pedes eius & dixit, in me sit Domine mi hæc iniquitas. Iuxta Hebræum habetur. obsecro ego domine mi iniquitas. Aduerbiū præponit obsecrantis: deinde in seipsam

reiecit

reiecit iniquitatem veniam petendo, vt sibi cōdonetur peccatum viri sui. & loquatur obsecro ancilla tua in auribus tuis, & audi verba ancilla tuæ. Ne quæso ponat Dominus meus rex. Superfluit rex. cor suum super virum istum iniquum Nabal, quia secundum nomen suum stultus est & stultitia est cum eo. Paro refert quod Hebraice habetur. ad virū Belī iahal istū super Nabal, quia sicut nomen eius sic ipse, Nabal nomen eius & ignominia cum ipso. Aduerte quod Hebræi dicūt quod Nabal ab ignominia deriuatur: quod manifestat ex pluribus scripturæ locis. ita quod Nabal sonat hominē vt ita dicā vituperosum, & hic sensus cōsonat cōditionibus suprascriptis Nabal. ego autē ancilla tua nō vidi pueros domini mei quos misisti. Et nūc domine mi viuit dominus & viuit anima tua, qui prohibuit te dominus ne venires in sanguinē, & saluauit animā tuā tibi. Iuxta Hebræū habetur. & facit seruare manū tuā tibi: retinēdo eā à percussione innocentū. & nūc fiat. Iuxta Heb. habetur. & nunc erūt sicut Nabal inimici tui, & quæretes domino meo malū. Optatis verba sunt vt inimici Davidis subsint potestati eius quē admōdū Nabal vita subdebatur potestati Davidis. Quapropter suscipe benedictionē hanc quæ attulit ancilla tua tibi Domino meo: & da pueris qui sequuntur te Domini meū. Iuxta Hebræum habetur. Et nūc munus hoc quod attulit ancilla tua domino meo, dabitur pueris ambulanti bus ad pedes domini mei. rogat enim vt munus illud detur societati Davidis. Aufer iniquitatē. Iuxta Hebræum habetur. Leua obsecro rebellionē ancilla tuæ. Vtuntur Hebræi vt aliās diximus eleuādi verbo pro ignoscere. & Abigail peccatū illud tanquā suū ignosci petit, quia faciēdo faciet dominus domino meo domū fidelē. Rectius legeretur. domū stabilem. ad differentiā domus Saulis, cuius domus præuidebatur nō futura stabilis in regno. quia prælia domini domini mei præliatur, malicia ergo non inueniatur in te omnibus diebus vite tuæ. Iuxta Heb. habetur. & malū non inuenietur in te à diebus tuis. De malo culpæ, quod posset impedire stabilitatē domus est sermo. reputabat enim (sicut & erat) malum culpæ fore occidere tot innocētes domus Nabal. Si enim surrexerit aliquādo homo persequēs te & quæret animā tuā, erit anima domini mei custodia quasi in fasciculo viuētū apud dominum Deū tuū: porro inimicorū tuorū anima rotabitur quasi in impetu & circulo sūdā. Iuxta Heb. habetur. Et surrexit homo ad sequendū te & ad quærendū animā tuam: & erit anima domini mei ligata in li-



in ligamine vitarum cum Domino Deo tuo. Hebræo more describitur in præterito persecutio & salus in futuro: perinde ac si diceretur quod post persecutionē erit salus. & nihilominus iam surrexerat homo Saul ad persequendum Dauidem. Similitudo autem assumpta ad significandum salutem animæ Dauidis & instabilitatem animæ inimicorum eius, consistit in diſparitate inter reconditum in ligamine vitarū seu viuorum ex vna parte & positum in medio plantæ fundæ ex altera parte. valde siquidē manifesta & magna est inter hæc differentia: nam res recondita in ligamine quo ligantur vitæ seu viui, ad hoc reconditur vt seruetur inter viuentes: quod vero ponitur in medio sedis fundæ, ad hoc ponitur vt funda illud iaculetur. Vnde iuxta Hebræum legendum esset. *Et animam inimicorum tuorum iaculabitur funda in medio plantæ fundæ.* quod antiquus interpres circulo- tione explicauit. *Et eris cū fecerit dominus domino meo secundum omne quod locutus est bonum super te, & præceperit tibi vt sis dux super israel, non erit hoc tibi in singulum & in scrupulum.* Iuxta Hebræum habetur. *in offensionem & in offendicū cordis Domino meo.* Mala quæ sequerentur ex hac clade proponit, quorum primum est internum offendiculum cum offensione, discutiēti animo per ea quæ gessit opera: prædicat enim quod quando regnabit, & in corde suo tanquam ambulans inquireret opera quæ fecit discutiendo illa, non inueniet offendiculum huius cladis. *quod effuderis sanguinem innoxium.* Iuxta Hebræum habetur. *Et ad effundendum sanguinem gratis.* Alterum malum quod sequeretur proponit: videlicet effundere sanguinē gratis: hoc est sine merito. nullus enim mereretur puniri nisi Nabal. Et est ordo literæ. & non erit hoc tibi ad offensionē &c. & non erit hoc tibi ad effundendum sanguinem gratis. *aut ipse te ultus fuerit.* Iuxta Hebræum habetur. *Et ad faciendum seruare dominum meum sibi.* Affirmatiue intelligenda est hæc particula, & est sensus, & erit ad faciendum seruare dominum meum sibi. post proposita siquidem mala quæ sequerentur ex hac clade, proponit bona quæ sequentur ex abstinentia ab ista clade, quorum primum est quod seruabit dominum meum sibi: hoc est seruabit dominum meum proprio bono, quod est bonum animæ. Et dicit hoc quemadmodum prius dixerat, & facit seruare manum tuam tibi. *cum benefecerit.* Iuxta Hebræum habetur. *Et benefacies*

faciet dominus domino meo. Alterum subiūgitur bonum futurum hinc. deinde immediate subiūgitur conclusio. *Et recordaberis ancillæ tuæ.* Nec habetur in Hebræo & tu benefacies ei, quod vulgata habet æditio.

**E**T ait Dauid ad Abigail: *benedictus dominus Deus israel qui misit te hodie in occursum meum, & benedictum eloquium tuum & benedicta tu: quæ prohibuisti me hodie ne venire in sanguinem, & saluasti manum meam mihi.* Et profecto viuit dominus Deus israel, qui prohibuit me ne malefacerem tibi: quod nisi festinasses & venisses in occursum meum, non remansisses Nabali vsque ad lucē matutinam mingens ad parietem. Et iussit Dauid de manu eius quod attulerat ei, dixitque ei, ascende in pace in domum tuam, ecce audiui vocem tuam & honorauit faciem tuam. Parui refert quod Hebraice habetur. vide audiui vocem tuam, & elucui faciem tuam. Sensus enim in idem redit. Laudabiliter autem Dauid mutauit sententiam. tum quia iniusta fuerat quo ad innocentes: tum quia impeditiua erat maioris boni occisio Nabal. longe siquidem maius bonum fuit clementia quam fuisset vindicta in personam Nabal quantumcunque licita.

Venitque Abigail ad Nabal, & ecce erat ei conuiuium in domo eius sicut conuiuium regis, & cor Nabal iucundum in eo, erat enim ebrius nimis. Iuxta Hebræum habetur. *Et ipse ebrius vsque valde.* ad explicandum quod non erat parum ebrius & non indicauit ei verbum paruum & magnum vsque ad lucem matutinam. Diluculo autem cum digessisset vinum Nabal. Iuxta Hebræum habetur. *Et fuit in mane in exitu vini a Nabal.* non enim significatur diluculum. indicauit ei vxor eius verba ista: *Et mortuus est cor eius in medio eius.* Mors cordis appellatur tam mala dispositio interna in animo vt tanquam mortuus animus fuerit sine opere & sine respicientia, & redundauerit in partes corporis vitales. *Et factus est quasi lapis.* Destitutum corpus à corde non effundente vires suas, fuit frigidum ac immobile quasi lapis. Cūque pertransissent circiter decem dies: percussit dominus Nabal. Iuxta Hebræum habetur. *mortificauit Iehouah Nabal & mortuus est.* Et scriptum est hoc ad tollendā omnem suspicionem humanæ interfectionis.

**E**T audiuit Dauid quod mortuus esset Nabal & dixit: *benedictus dominus qui vindicauit causam opprobrii mei de manu Nabal, & seruum suum custodiuit à malo, & malum Nabal reddidit dominus in caput eius.* Gratias agit Deo de iustitia, non de morte



morte Nabal. misitq; David & locutus est ad Abigail vt sumeret eam sibi in vxorem. Et venerunt serui David ad Abigail in Charnel. & locuti sunt ad eam dicens, David misit nos ad te vt accipias te sibi in vxorem.

Qua surrexit & adorauit prona in terram: & ait, ecce ancilla tua in ancillam ad lauandum pedes seruorum domini mei. Absentem tanquam presentem Dauidem alloquitur. Festinavitq; ac surrexit Abigail & equitauit super asinum, & quinque puelle eius ambulabant ad pedes eius: & iuit post nuncios David, & fuit ei in vxorem. Et Achinoham tulit David de Ixchel, & fuit vtraque in vxorem eius. Vide quanta erat pronitas quantumve studium Hebræorum ad generandum, vt etiam inter vagandum per speluncas multiplicauerint vxores. Saul uatem dedit Michal filiam suam vxorem David, Palti filio Laïs qui erat de Gallim.

## CAPVT XXVI.

**E**T venerunt Ziphæi ad Saulem in Ghibham dicendo. Ecce iterum Ziphæi quauis eiusdem essent tribus cuius erat David, sollicitant Saulem cōtra Dauidem. ecce David absconditus est in colle Chachile qua est ex aduerso solitudinis. Iuxta Hebræū habetur. super faciem Iefimon. Nomen est proprium loci, & idem est nomen cum iterum repetitur solitudinis, describendo locum in quo castrametatus est Saul. Et surrexit Saul & descendit in desertum Ziph, & cum eotria millia virorum electorum Israelis: ad querendum Dauidem in deserto Ziph. Et castrametatus est Saul in colle Chachile qua est super faciem solitudinis iuxta viam: David autem manebat in deserto, & vidit quod venisset Saul post se in desertum. Misitq; David exploratores & cognouit quod venisset Saul certissime. Quæstio suboritur: si vidit, quare misit ad explorandum, & si misit ad explorandum, quomodo verificatur quod vidit? Solutio est quod vidit à lōge multitudinem venientem post se: sed non erat certus an illa multitudo quam venisse viderat, esset multitudo Saulis cū ipso, & propterea vtrunque verificatur: & quod vidit, & quod misit exploratores vt certior fieret.

Et surrexit David, & venit ad locum in quo castrametatus erat Saul, & vidit David locum vbi iacebat Saul & Abner filius Ner princeps militiæ eius: Saulque iacebat in tentorio. Hebraice non significatur explicite tentorium, sed quid rotundum: per quod intelligi

Intelligo rotundum tentorium quasi conopœum. eademque dictio repetitur inferius vbi repetitur tentorium. & populus castrametatus erat per circumitum eius. Responditq; David & dixit ad Achimelech Chittheū & ad Abisai filium Ner in fratre Ioab dicendo, quis descendet mecum ad Saul ad Castra? dixit Abisai, ego descendam tecum. Venerunt ergo David & Abisai ad populum nocte: & ecce Saul iacebat dormiens in tentorio, & lancea eius fixa erat in terra ad caput eius, & Abner & populus iacebant per circumitum eius.

Dixitque Abisai ad David, cōclusit Deus hodie inimicum tuum in manu tua. Nomen est Elohin, congruum proposito. & nunc percussam eum, quæso in lancea & in terra semel, & non iterabo ei. Et dixit David ad Abisai: ne interficias eum, quis enim extendet manum suam in Christum domini & innocens erit? Semper David fixū in corde & in ore habuit honorem summi Dei, adeo vt innocentem nullum censuerit quin vntum à Deo manus extenderit.

Et dixit David: viuit dominus nisi dominus percusserit eum, aut dies eius venerit & moriatur, aut in prælium descenderit & perierit. Propitius mihi sit dominus. Iuxta Hebræum habetur. Abesse mihi à Iebouah. vt superius expositum est. verum subiungitur. à mittendo manum meam in Christum domini. hoc est si mittam manum meam in Christum domini. & nunc tolle quæso lanceam que est ad caput eius & scyphum aque, & abeamus. Le-gendum est. & ibimus nobis. hoc est ad nostrum bonum. Tulitq; David lanceam & scyphum aque qui erat ad caput Saulis, & abierunt sibi: & non fuit videns nec cognoscens nec euigilans, sed ipsi omnes dormiebant, quia sopor domini irruerat super eos. Vide assententiam diuinam benignitati Davidis.

**E**T transiit David in aduersum, & stetit super verticem montis ad longe: magnum intervallum erat inter eos. Clamauitque David ad populum & ad Abner filium Ner dicendo, nōne respondebis Abner? respondit Abner & dixit, quis es tu qui clamas & inquietas regem? Parui refert quod Hebraice habetur. quis tu clamasti ad regem? proculdubio excitandum tuo clamore. Dixit autem David ad Abner: nōne vir es tu? & quis sicut tu in Israel? & cur nō custodisti dominum tuum regem? venit enim vnus e populo ad perdēdū regem dominū tuū. Nō est bonū hoc quod fecisti: viuit dominus quod filij mortis vos, qui nō custodistis dominum vestrum Christum domini. Occurrit quæstio quomodo verificantur hæc



verba Dauidis iuramento firmata: quoniam non erant digni morte quos sopor immisus à Deo opprefferat ne sentirent venientes ad regem. Solutio est quòd quannis custodes regis excusabiles essent ex parte eorum propter soporem immisum à Deo, ex parte tamen actus erat digni morte: quoniam omisio custodia regis ex proprio genere damnabilis est & digna morte, relative ad eos qui deputati sunt ad custodiam regis dormientis. & sic verificantur verba Dauidis & nunc vnde de vbi sit lancea regis, & scyphus aquae qui erat ad caput eius.

Cognovit autem Saul vocem Dauidis & dixit, nomen vox tua haec fili mi Dauid? & dixit Dauid, vox mea est domine mi rex. Et ait, cur persequitur dominus meus seruum suum: quid enim feci, & quod est in manu mea malum? Et nunc audiat quaeso dominus meus rex verba serui sui: si dominus incitat te contra me, odoretur sacrificium. Iuxta Hebraeum habetur, odorabit munus. Et est sensus, Placebit Deo persecutio qua me persequeris quèadmodum placet ei munus quod ei offertur. & si filij hominis, maledicti sunt coram domino: quia eiecerunt me hodie ab habitando in hereditate domini dicendo, vade, serui diis alienis. Et nunc non effundatur sanguis meus in terra coram domino. Iuxta Hebraeum habetur, Et nunc non cadet sanguis meus in terram à coram facie Iehonah. Ad immediate praecedentia verba oforum Dauidis haec sententia refertur. & est sensus quòd quanuis illi me eiecerint vt serutam diis alienis, non tamen erunt voti compotes, quia à coram facie domini (hoc est à tribunali diuino) non cadet sanguis meus in terram: vt pote qui nunquam seruiam diis alienis, quia egressus est rex Israel ad querendū pulicem vni, sicut persequitur perdix. Legendum est, perdicem in motibus. comparat enim se perdici & regē persecutori perdicis. Et ait Saul, peccavi, reuertere fili mi Dauid, quia non malefaciam tibi amplius eo quòd preciosa fuit anima mea in oculis tuis hodie: apparet enim quòd stulte egerim & ignorauerim multa nimis. Legendū est, ecce insanis & erravi multum valde. Recordatus quòd alias simile beneficium receperat à Dauide, fatetur nō solum se errasse, sed etiā insanisse multū valde persequendo iterum Davidem. Responditq; Dauid & dixit: ecce lancea regis, trāseat vnus de pueris & tollat eā. Dominus autē reddat vnicuique iustitiā suā & fidem suam: quia tradidit te hodie in manus meam, & nolui extendere manum meam in Christum domini. Et ecce sicut magnificata est anima tua in oculis meis hodie, sic magnificetur anima mea

in oculis domini, & liberet me de omni angustia. Aitq; Saul ad Dauid, benedictus tu fili mi Dauid, etiam faciens facies & etiam potens poteris: & inuit Dauid in viam suam, & Saul reuersus est in locum suum.

## CAPVT XXVII.

**T** ait Dauid in corde suo, aliquando incidam vna die in manus Saul. Iuxta Hebraeum habetur, nunc cōsumar lie vno in manu Saulis. Manifeste timet aliquo die occidēdum à Saul. Sed oritur quaestio quomodo Dauid dubitauerit se occidēdum à Saul: quia huiusmodi dubium redūdabat in iniuriam diuinæ revelationis quòd ipse esset futurus rex Israel. Solutio est quòd absque iniuria diuinæ revelationis licuit Dauidi dubitare de euentu incidendi in manus Saulis: quoniam dubitare poterat de mutatione diuinæ sententiæ ex propriis demeritis, quèadmodum mutatā intellexerat diuinā sententiā de regno Saulis, agnoscebat siquidē Dauid peccata propria: & inde rationem habebat timendi ne mutaretur diuina sententiā de regno ipsius manifestata ei per Samuelē, nōne melius est vt fugiam & saluer in terra Pelisthinorum. Iuxta Hebraeum habetur, nōne mihi bonum quòd euadendo euadam in terram Pelisthim, & nihil dicitur de fuga, vt desperet Saul, cessetq; me querere in cunctis finibus Israel. Iuxta Heb. habetur, & fastidiā ego Saulē ad querendū me adhuc in omni termino Israel, & euadam è manu eius? Sententia est clara: & sic iacet in Hebraeo nisi quòd dictio interpretata euadam, interpretanda esset passiuē: puta euasus ero si liceret dicere.

Et surrexit Dauid, & transiit ipse & sexcenti viri qui erant cū eo ad Achis filium Mahuch regem Gath. Ideo iste Achis describitur filius Mahuch (ni fallor) vt insinuetur quòd nō est illemer Achis rex Geth qui expulerat Dauidē tanq̄ in sanū, iuxta scripta superius in cap. 21. Et habitauit Dauid cum Achis in Gath ipse & viri eius, vnusquisque cum domo sua: Dauid & duae uxores eius, Achinoah lix rehelithis & Abigail vxor Nabal Charmelithis. Et nunciatum est Sauli quòd fugisset Dauid in Gath: & non addidit vltra querere eum.

Dixit autē Dauid ad Achis: si quaeso inueni gratiā in oculis tuis, det mihi locū in vna ex ciuitatibus regionis & habitabo ibi, cur enim manet seruus tuus in ciuitate regia tecū? Deditq; ei Achis in die illa Riclag: propter quod fuit Riclag regibus Iehuda vsq; ad diem hūc.



**F**uit autem numerus dierum quibus habitauit Dauid in regione Pelisthinorum, quatuor mensium. Iuxta Hebræum habetur. *annus & quatuor menses.* Veruntamen scito quod distio interpretata annus, anceps est ad annū vel dies: & propterea ambiguum restat tempus quo Dauid mansit apud Pelisthinos. Considerata tamen mora Dauidis prius in ciuitate Geth (ita quod & habitauit prius in Geth & postea transtulit se ad habitandum in Siceleg) cum tot excursionibus ex Siceleg patris & visitationibus regis cū muneribus ex prædis, rationi consentaneum videtur vt intelligamus non quatuor menses & aliquot dies, sed annus & quatuor menses. *Et ascendit Dauid & viri eius, & agebant prædas de Ghesuri & de Ghezre & de Hamalecitis.* Iuxta Hebræum habetur. *& exteulerūt se ad Ghesuritam & Ghirzitam.* proculdubio per modū excursionis agredientes & prædantes. *& Hamalecitam.* Ex subiunctis clare habetur quod contra istos Hamalecitas Saul non pugnavit: quia isti non habitabant in regno Hamalec, sed in terra promissionis, nec fuerant participes criminis regni Hamalec quod surrexit aduersus Israel in egressu ex Aegypto antequam perueniret ad mōtem Sinai. *Hi enim pagi habitabant in terra antiquitus.* Iuxta Hebræum habetur. *quia ipsi habitantes terram à semper, veniente te Sur & vsque ad terram Aegypti.* Ratio redditur quare in istos potius quàm in alios extendebat se Dauid & sui: quia videlicet isti erant habitantes terram à semper, hoc est sine perturbatione bellorum semper persecutores in quietibus suis securi. Occurrit quæstio qua ratione licuit Dauidi præliari aduersus istos quiescentes in propriis locis à seculis. Solutio est quod isti habitasse dicuntur infra terminos terræ promissionis, & propterea dati à Deo in hostes Israelis: & hinc licuit Dauidi inuadere eos ad subueniendum necessitatibus populi qui erat cum eo. *Et percutebat omnem terram illorum.* Iuxta Hebræum habetur. *Et consummet Dauid terram.* proculdubio diripiendo eam. *& non relinquet viuentem virum & mulierem.* Intellige ex iis quos capiebat. *& tollet oves & boues & asinos & camelos & vestes, & reuersus est & venit ad Achis.*

*Dixitq; Achis, in quem irruistis hodie? & dixit Dauid, contra meridiem Tehuda & contra meridiem Ierachmeeli & contra meridiem Ceni.* Mendacium dicebat: & ex tot fictis locis innuitur quod pluries Dauid reuersus est ad regem repetentem in-

terroga-

terrogationem, in quem irruistis hodie? quæ tamen interrogatio hebraice scribitur. *quo extendistis vos hodie?* non enim vno & eodem die Inisse in tot loca videtur. Si quæritur qua ratione excusatur Dauid à mendacio pernicioso imponendo sibi ipsi peccatum mortale videlicet direptionem Iudææ. Solutio est quod direptio Iudææ à Dauide quatenus fuisset ab inimico (vt Achis reputabat) non erat mortale peccatum ex proprio genere, sed poterat & esse & existimari iusta: puta si Dauid habuisset iustum bellum contra Iudæam. & quia Dauid tanquam inimicū Iudææ se fecisse hæc dicebat, ideo non mentiebatur contra famam propriam, sed officiose. *Virumque & mulierem non viuificabit Dauid nec adducet in Gath.* Iuxta hebræum habetur. *ad faciendum venire in Gath: dicendo, ne forte nuncient contra nos dicendo sic fecit Dauid.* Ratio redditur quare Dauid occidebat hostes: videlicet ne viuentes venirent in Geth accusantes Dauidem. Et hinc insinuat quod inter Pelisthinos & illos quos diripiebat Dauid nō erat inimicitia. *& sic fuit consuetudo eius omnibus diebus quibus habitauit in regione Pelisthinorum.* Et credidit Achis Dauidi dicendo: *multa enim mala operatus est contra populum suum Israel.* Iuxta hebræum habetur. *fastidendo fastidit eum populus eius Israel & erit mihi in seruum semper.* Ex tot direptionibus patris in Israel à Dauide intulit quod fastidio habebat populū Israel, ac per hoc esset sibi futurus semper seruus.

## CAP. XXVIII.



**T** fuit in diebus illis congregauerunt Pelisthim castra sua in exercitu vt pugnarent contra Israel: dixitque Achis ad Dauid, sciendo scies quod mecum egredieris in castra tu & viri tui. Et dixit Dauid ad Achis, nunc scies. Iuxta hebræum habetur. *ideo tu scies quæ faciet seruus tuus: atque Achis ad Dauid ideo custodem capiti meo ponam te omnibus diebus.* Occurrunt autem hic duæ quæstiones: altera de verbis, altera de intentione Dauidis. Circa verba quidem, quia prægnantia sunt & à rege intellecta in hoc sensu: videlicet quæ faciet seruus tuus contra inimicos tuos. nam respondit rex ideo custodem ponam te capiti meo cunctis diebus. Circa intentionē vero Dauidis an ipse intēderet pugnare aduersus populū Israel (vt subiuncta verba eius ad Achis regem man-

T iij dantem



antem vt recedat à castris sonant in ca. sequenti) an intenderet pugnare aduersus Pelisthinos. Et est ratio dubii: quia Dauidem pugnare aduersus populum Israel nefas erat: pugnare vero aduersus Achis regem erat ingrati & proditoris. Solutio secundæ quæstionis est quod intentio Dauidis non innotescit nobis nisi ex operibus, testantur autem facta quod Dauid non intendebat pugnare aduersus Israel; nam audita in Siceleg clade Israelis & morte Saulis, scidit vestimenta sua, fleuit & ieiunauit & vindicauit mortem Saulis occidendo eum qui dixerat se interfecisse Saulem. quod autem intenderit proditoriè conuertere arma in Pelisthinos, ex aliis ab eodem factis non redditur incredibile: nam & ingratiſſimus fuit Ionathæ priuando filium eius medieta te bonorum: & simul ingratus deuoto ac fortissimo militi Vriæ eiusdemq; proditor fuit interficiendo eum gladio Hammonitarum. Multo ergo magis & ingratus & proditor Achis infidelis & hostis populi Dei fuisset, arbitrans obsequium Deo se præstare conuertendo arma aduersus Pelisthinos. Solutio autem primæ quæstionis est quod Dauidis verba ex industria fuerunt prægnantia vt vnum intelligeret Achis & aliud intenderet ipse. Nec obstant subiuncta in sequenti ca. quoniam postquam Dauid vidit se non iturum ad bellum, simulauit se inuitum recedere iactando quod fecisset contra inimicos regis &c. vt bonam gratiam regis erga se & seruaret & auget.

*S*emuel autem mortuus est, planxitque cum totus Israel & sepelierunt eum in rama & in ciuitate sua. Comemorant prius scripta mors Samuelis, ad manifestandum tempore quo Saul defertus fuit à Deo, fuisse etiam destitutum ope Samuelis utpote mortui. & Saul abstulit Magos & Hariolos de terra. Intelligo per Magos & Hariolos omnes incantatores quocumque appellentur nomine. & in hoc relucet magnam Saulis studium erga veram religionem.

Congregati que sunt Pelisthim & venerunt & castrametati sunt in Sunem: & congregauit Saul totum Israel & castrametati sunt in Ghilboah. Et vidit Saul castra Pelisthim: timuitque & expanit cor eius valde. Consuluitque Saul Dominum & non respondit ei Dominus neque per somnia neque per sacerdotes. Iuxta hebræum habetur. *urim*. hoc est illuminationes. neque per prophetas. Et quod non sit sermo de pectorali pontificis, habetur ex hoc quod Abiathar

b' iathar filius pontificis interfecti à Saule tulerat secum Ephod fugiens ad Dauidem nec aliquis post cladem sacerdotum legitur functus apud Saulem pontificis officio. Est itaque sensus literæ. quod neque per reuelationem in somniis, neque per apertam reuelationem in vigilia, neque per inspirationem prophetarum responsum aliquod obtinuit Saul à Deo.

*Dixitque Saul seruis suis, queritis mihi mulierem habentem pythonem, & ibo ad eam & sciscitabor per eam.* Non est facienda vis in pythonis vocabulo, quoniam græcum est: hebraice autem nihil certi habeo, nisi quod quædam incantationis species ad diuinandum per apparitionem mortuorum significati videtur. hoc enim subiuncta insinuant. *Si queris quomodo Saul huiusmodi mulierem quaerit, cum ipse euulserit eas è terra? in promptu est responso, quod Saul vir prudens cogitabat id quod communiter accidit: videlicet remanere semper aliquem occultum, qui non defertur ad curiam, & dixerunt serui eius ad eum, ecce mulier habens pythonem in Hendor.* Et mutauit Saul habitum suum & induit se vestimentis aliiis, tum vt licentius rex iret sine regali comitatu, tum ne agnosceretur à muliere. *& abiit ipse & duo viri cum eo, & venerunt ad mulierem nocte: & dixit diuina quæso mihi in pythone & suscita mihi.* Iuxta hebræum habetur, *& fac ascendere mihi quem dicam tibi.* Ex hac petitione apparet quod ille diuinandi modus fiebat ascensu alicuius defuncti. vtrumque enim hic dicitur: & diuina mihi in ob, & fac ascendere quem dicam tibi. Et ait mulier ad eum: ecce tu nosti quæ fecit Saul qui erasit Magos & Hariolos de terra, quare ergo insidiaris animæ meæ vt occidas? Iuxta hebræum habetur. *& quare tu offendens in animam meam ad faciendum mori me?* Sic sonat hebraica litera: videlicet quare tu tanquam cespitans in vitam meam efficere vis vt occidas? hoc est cespitatio tua à religione est in malum vitam meam: quare ergo vis me mori? Et irauit ei Saul in Domino dicens: *viuit Dominus quod non eueniet tibi quicquam mali.* Iuxta hebræum habetur. *iniquitas*, hoc est imputatio ad iniquitatem, propter hanc rem.

*Dixitque ei mulier quem suscitabo tibi? Iuxta hebræum habetur. quem faciam ascendere tibi? Nullum est verbum suscitationis,*



taionis, & similiter cum subiungitur. & dixit Semuelem *scita*. iuxta hebræum habetur. *fac ascendere mihi*. non enim reputabant resurgere mortuos, sed apparere eorum spiritus, *Viditque mulier Semuelem & clamauit voce magna*. Antiqua occurrit quæstio (à priscis etiam doctoribus discussa & adhuc sub iudice manens) an vere fuerit anima Samuelis an dæmon sub specie animæ Samuelis. Et præcipua dubitandi ratio est: quia hinc scriptura nominat Semuelem clare dicendo & vidit mulier Semuelem: idemque sæpe repetit. inde autem certum est quod nulla incantationis ars extenditur super animas sanctorum. Solutio est quod tam textui quam rationi quadrat vt vere fuerit anima Samuelis. scripturæ quidem, quia & hic Samuelé visum esse dicit & quia ille qui apparuit manifeste testatur se esse Samuelé dicendo Sauli quem admodum locutus est dominus in manu mea: hoc enim non potest verificari nisi de ipso Samuele. Iesus quoque Sirach ecclesiastici quadagesimosexto clare dicit fuisse animam Samuelis describendo de eo & post hæc dormiuit & notum fecit regi & ostendit illi finem vitæ suæ &c. Nec propterea sequitur quod ars magica extensa fuerit ad animam sancti Samuelis: sed quod quem admodum exercente Balaham incantationes suas apparuit deus illi (non vi incantationum, sed præoccupans & impediens incantationis effectum vt declaratum est ibidem) ita exercente muliere incantationes suas præoccupauit deus mittendo animam Samuelis ac impediendo incantationis effectum. Et hæc est ratio ex scriptura sumpta cui quadrat quod fuerit vere Samuelis anima. Nec mirum est quod deus negauerit respondere Sauli interroganti eum, & tamen responderit interroganti per magos: quoniam & inuito Balaham & regi Moab reuelauit quæ vtrique displicebant, & similiter non interrogatus à Saule, obtulit responsonem non quæsitam Sauli displicentem: obtulit autem & certam de futuris contingentibus qualem dæmon dare non potuisset: & hoc ad initium punitionis æternæ. & dixit mulier ad saulem dicendo cur imposuisti mihi & tu Saul. Occultus nobis est modus quo mulier ex viso Samuele agnouit saulem: scriptura enim nullam aliam visionem, nullam reuelationem refert mediam: sed postquam scriptum est & vidit mulier Semuelem, immediate subiungitur & clamauit voce magna &c.

Dixitque

Dixitque ei rex, noli timere. Amicum valde fuit interpreti verbum noli: Infinites enim illud apponit vbi non habetur. Vnde legendum est. *nontimebis*. Et hinc patet quod clamor mulieris fuit ex timore regis: propter quod scriptura dicit significanter & dixit ei rex nō timebis vt regia affirmatione securam reddidisse mulierem significaret. *quid vidisti? Et ait mulier ad Saul deos vidi*. Iuxta hebræum habetur. *Elohim vidi ascendentes de terra*. Quia Elohim numeri est pluralis, ideo dixit ascendentes: cum tamen vnum viderit, sed veneranda specie: & propterea honorabiliter loquens iuxta morem illius temporis appellat eum in numero plurali Elohim ascendentes. *Dixitque ei, qualis est forma eius? Iuxta hebræum habetur, quis aspectus eius? Intellexerat Saul venerandam apparuisse personam & quærit de specie apparente illius. & ait, vir senex ascendens & ipse amictus pallio*. Hinc manifeste habetur quod vnus fuit qui apparuit quem mulier appellauerat Elohim ascendentes. *cognouitque Saul quod Semuel esset & inclinauit faciem in terram & adorauit eum*. hoc est honorauit eo modo quo principes honorantur.

**D**ixitque Semuel ad Saul, quare inquietasti me vt suscitarem? Iuxta hebræum habetur. *quare fecisti mouere me faciendo ascendere me*. Verum dicit, quia occasionaliter fecerat mouere ipsum & ascendere, quauis non efficaciter: quoniam solus Deus potuit efficaciter mouere animam Samuelis ad huiusmodi apparitionem. & ait Saul, *coarctor nimis*. Iuxta hebræum habetur. *angustatus sum valde & Pelisthim pugnant contra me & Deus recessit à me & non respondit mihi neque per manum prophetarum neque per somnia & vacavi re*. & rationem angustiarum manifestat hinc Pelisthinorum bellum inde recessum Elohim à se non respondendo ei vlla via: & propterea inter has angustias vocauit Semuelem. *vt ostenderes mihi quid faciam*. Aduerte prudens lector etiam hinc haberi quod diximus videlicet quod Deus impediuit effectum incantationum: & Sauli obtulit Samuelis animam non respondentem quæsito, non indicantem Sauli quid facturus esset (quod ipse petebat) sed indicantem eidem quid passurus esset quod ipse nolebat.

*Et ait Semuel: & cur interrogas me, & dominus recessit à se & transiuit*



transiit ad amulū tuum? Iuxta Hebræum habetur. & fuit inimicus tuus? Deus ipse manifestatur à Samuele inimicus Saulis: & si Deus contra eum, quis pro eo? Nec mireris Deū dici inimicum Saulis: quia scriptum est quòd altissimus odio habet peccatores. Et faciet. Iuxta Hebræum habetur. Et fecit dominus tibi scut locutus est in manu mea. Decretum pro facto dicit, quia irrevocabiliter decretum erat. & scindet. Iuxta Hebræum habetur. & scindet dominus regnum de manu tua, imminens enim tūc scissio regni subsecuta statim dum David factus est rex super Iudam, habetur pro facta. Et similiter cum subiungitur. & dabit. scribitur. & dedit illud proximo tuo Davidi ratione supradicta. Quia non obedisti voci domini nec fecisti iram furoris eius in Hamalec, idcirco hoc fecit tibi dominus hodie. Mirabilia sunt iudicia Dei quòd vnicum ac non gravissimū peccatum Saulis imputatum illi sit ad tam gravem pœnam, & multo maiora peccata Davidis non fuerint ad huiusmodi pœnam imputata. Et dabit dominus etiam Israel tecum in manū Pelisthim. utpote cum quo peccasti parcēdo rebus bonis Hamalecitarū, & cras tu & filij tui eritis mecum. hoc est inter defunctos eritis. etiam castra Israel dabit dominus in manum Pelisthim. Prius dixerat quòd dabit Israel in genere, modo dicit in specie de castris Israel. rursus prius dixit & dabit Israel, non explicando tēpus: modo dicit & dabit castra Israel cras. Statimq; Saul cecidit porrectus in terram. Iuxta Hebræū habetur. Et festinavit Saul & iecit plenitudinem altitudinis suæ ad terram. Quamvis Hebraica dictio anceps sit ad cecidit vel iecit, magis tamen quadrat præcedenti verbo (& festinavit Saul) quòd iecerit se quàm quòd ceciderit. Nullus tamen error est legere & cecidit plenitudo altitudinis eius ad terram. significatur enim (ut vulgata æditio habet) quòd ex integro cecidit, seu à se iactus est porrectus in terram. extimorvat enim. Iuxta Hebræum habetur. & timuit valde à verbis Samuelis: etiam robur non fuit in eo. Dux rationes redduntur huius casus seu iactus. altera ex parte animi: videlicet magnus timor ex verbis Samuelis. altera ex parte corporis, quia robur non erat in eo. quia non comederat panem tota die illa. Legendum est. tota die & tota nocte. Et hinc insinuat quòd die illa Saul ambulauerat, quamvis nocturna hora perueniret ad mulierem.

Ingressa est itaq; mulier illa ad Saul, conturbatum enim erat valde.

de. Iuxta Hebræum habetur. Et venit mulier ad Saul, & vidit quod fuit attonitus valde. Ex hoc aduentu mulieris ad Saulem iacentem in terra, insinuat quòd supra scripta festinatio Saulis fuit ad exeundum de secreto loco ubi exercebat mulier incantationes: & quòd egressus ex illo secreto loco cecidit, vel iecit se in terram: & quòd mulier postea ex eodem secreto loco venit ad Saulem, & vidit eum tam exterritum ut appareret attonitus. Dixitq; ad eum, ecce obediuit ancilla tua voci tue & posui animam meam in manu mea & audiui verba tua quæ locutus es ad me. Sæpe Hebræi vtuntur hac similitudine ad significandum quòd exposuit vitam suam periculo. Et nūc audi quæso etiam vocem ancilla tua, & ponam ante te buccellam panis & comede: & erit in te robur cum ibis in viam tuam. Renuitq; & dixit nō comedam: coegerūt autem eum serui eius & etiā mulier & audiuit vocem eorum, surrexitq; è terra & sedit super lectum.

Mulier autem habebat vitulum pascualem. Iuxta Hebræū habetur. vitulum saginatum in domo. & significatur vitulus pinguis. & festinavit & occidit eum: tulitq; farinam & miscuit, & coxit ex ea azimā. Et attulit ante Saul & ante seruos eius, & comederunt: surrexeruntq; & abierunt in nocte illa.



ongregaueruntque Pelisthim omnia castra sua in Achis: & Israel castrametatus est in fonte qui erat in Ixrebel. Et principes Pelisthinorum transibant in centuriis & millibus: David autem & viri eius transibant in nouissimo cum Achis. Dixeruntque principes Pelisthinorum, quid sibi volunt Hebræi isti? Perpende assistentiam diuinę benevolentię erga Davidem, prouidendo ei vt vtrūque euadat periculum: vel manifestandi se proditorem Achis regis, vel puniendi contra Israel. Per hanc enim prudentiam principum Pelisthinorum exemit Deus Davidem ab vtroque malo cum honore & vtilitate ipsius Davidis. honore quidem corā rege: vtilitate autem, quia hinc secuta est recuperatio direptorum ab Hamalecitis, quæ in sequenti tractatur capitulo. & dixit Achis ad principes Pelisthim, nōne iste est David seruus Saul regis Israel qui fuit mecum multis diebus & annis. Iuxta Hebræū habetur. istis diebus vel istis annis. Habetur enim vtrunq; sed sub disunctione, & propterea ambiguum restat ex hac litera tempus quò fuit David apud Pelisthinos. Magis tamen quadrat



drat iustificationi regiae quod affirmare intenderit istis annis: quia argumentum valde leue de fide Dauidis attulisset dicendo istis diebus: si enim tempus minus anno significasset, non dixisset istis diebus, sed istis mensibus, sed affirmando istis annis, argumentum non indignum de fide Dauidis protulit. Et verum dixit: quoniam tempus vnius anni & quatuor mensium, absque falsitate appellatur istis annis, vt patet. & non inueni in eo quicquam ex die qua transfugit ad me vsque ad diem hanc? Irati sunt autem contra eum principes Pelisthim & dixerunt ei: fac reuertere virum & reuertatur ad locum suum in quo constituisti eum, & non descendat nobiscum in praelium ne fiat nobis aduersarius cum praeliari coeperimus: quomodo enim aliter placare poteris Dominum suum nisi in capribus nostris? Iuxta Hebraeum habetur. in capribus virorum horum? videlicet Pelisthinorum. Nomen hic est Dauid cui cantabant in choris dicendo, percussit Saul in millibus suis & Dauid in myriadibus suis?

**V**ocauitque Achis Dauidem & dixit ei: vivit dominus quod reclus es & bonus in oculis meis, exitus tuus & introitus tuus est mecum in castris, quia non inueni in te malum à die quo venisti ad me vsque ad diem hanc. Dicitio interpretata dominus, est nomen tetragrammatō. Quod ideo annotaverim vt cognoscamus quod etiam Achis Pelisthinus iurabat in summo vero Deo. sed satrapis non places. Parvi refert quod iuxta Hebraeum habetur. & in oculis principum non bonus tu. in idem enim sensus redit. Revertere ergo & vade in pace: & non offendas oculos principum Pelisthim. Dixitque Dauid ad Achis: quid enim feci & quid inuenisti in seruo tuo à die qua fui in conspectu tuo vsque ad diem hanc, vt non veniam & pugnem contra inimicos domini mei regis? hoc est Israelitas. Iactantis sunt verba, & ficta ad simulandum se inuiti recedere & promptum ad pugnam contra Israel. Sed quid mirum quod simulavit agenda, qui manifeste simulavit facta contra Israelitas. Respondit autem Achis & dixit ad Dauid: noui quod bonus es in oculis meis sicut Angelus Dei. Nomen est Elohim. tantum principes Pelisthim dixerunt, non ascendat nobiscum in praelium. Igitur consurge mane tu & serui Domini tui qui venerunt tecum. Israelitas qui erant cum Dauid appellat seruos Saulis, naturalis domini ipsius Dauidis, surgiteque mane, & cum illucescet vobis, etc. Surrexeruntque Dauid & viri eius ad eundem mane vt reverterentur in terram Pelisthim: Pelisthim autem ascenderunt in Iizrehel.

Caput



**V**enque venisset Dauid & viri eius in Ziclag die tertia, à recessu à castris Pelisthinorum. Hamalecitas impetum fecerant. Quauis Saul percusserit Hamalecitas, multi tamen euaserunt, immo multi seorsum habitates nec senserunt bellum Saulis: vt patet superius cap. 27. & propterea non est mirum quod vexati Hamalecitas à Dauid irruerent in Siceleg, ex parte australi in Siceleg. Iuxta Hebraeum habetur. ad meridiem & Ziclag. Non significatur ex meridie, sed quod extederant se ad meridiem & Siceleg. & percusserat Ziclag & cōbuserant eam igne. Captiuasque duxerant mulieres quae erant in ea à paruo vsque ad magnum: non interfecerant quenquam, sed abduxerant & ierant in viam suam. Et vocauit Dauid & viri eius ad civitatem: & ecce combusta erat igni, uxoresque eorum & filij ac filiae eorum captivi ducti erant. Leuauitque Dauid & populus qui erat cum eo vocem suam: & steterunt donec deficerent in eis lacrymae. Iuxta Hebraeum habetur. vsquequo non in eis vires ad plangendum subauditur enim verbum substantiuum. Et duae uxores Dauid captivae ductae erant: Achinoham Iizrehe lithis, & Abigail uxor nabal Charmelita. Et contristatus est Dauid valde, volebat enim eum populus lapidare. Iuxta Hebraeum habetur. Et angustatus est Dauid valde, quia dixerunt populus ad lapidandum eum, quia amara erat anima totius populi, vnusquisque super filios suos & filias suas. hic enim affligebatur Dauid magnitudine damni: inde autem minis populi qui cum eo erat, dum quidam eorum coeperant loqui de lapidatione ipsius. Nec alia redditur causa huiusmodi verborum, nisi amaritudo animi. confortatus est autem Dauid in domino Deo suo. Legendum esset. & roborauit se Dauid in Iehonah Elohe suo. Diuina inspiratione fiduciam accepit, non in seipso, sed in summo Deo gubernatore suo.

**E**t ait Dauid ad Abiathar sacerdotem filium Achimelech, applica quae so mihi ephod. Alienum à ratione est intelligere quod Dauid indutus fuerit sacerdotali superhumerali: sed aliter duorum intelligendum est, vel vt hebraea sonat, fac appropinquare mihi quae so ephod, ita quod significetur appropinquatio localis: sed nulli in sacra scriptura innititur rationi localis appropinquatio ephod. Vel quod significatur applicatio ad induendum: vt sensus sit, fac appropinquare te sacerdotem indutum ephod mihi: vt appellatione ephod intelligatur sacerdos indutus ephod. Et similiter intellige subiuncta verba significantia executionem, & hic sensus consentaneus est &



religioni Dauidis & similibus factis. & applicauit Eb' sathar Ephod ad Dauid. Et interrogauit Dauid in domino dicens, persequar cuncum hunc an attinga eost & dixit ei, persequere, quia attingendo attinges & eruendo crues. Abiit ergo Dauid ipse & sexcenti viri qui erant cum eo, & uenerunt vsque ad torrentem befor & lassii quidam substituerunt. Iuxta Hebraum habetur. & reliqui substituerunt nihilque dicitur de lassitudine. Veru qui appellentur reliqui, statim declaratur, distinguendo & dicendo quod quadringenti secuti sunt Dauidem & ducenti substituerunt. Persecutusq; est eos Dauid, ipse & quadringenti viri: & substituerunt ducenti viri qui lassii transire non poterant. Hebraice habetur, qui se reuerunt a transendo torrentem befor. nec aliqua mentio fit lassitudinis.

Et inuenerunt virum Aegyptium in agro, & adduxerunt eum ad Dauid: dederuntque ei panem & comedit & propinauerunt ei aquam. Dederunt quoque ei fragmentum massae carycarum & duas ligaturas uiae passae & comedit, & reuersus est spiritus eius in eum: non enim comederat panem nec biberat aquam tribus diebus & tribus noctibus. Dixitq; ei Dauid, cuius es & unde es? & dixit puer, Aegyptius ego sum seruus viri Hamalecithae, dereliquitq; me dominus meus, quia egrotare cepi nudius tertius. Nos erupimus in meridiem Chereithi & in id quod est Iehuda & in meridie Chaleb: & Ziclah combusimus igni. Et dixit ad eum Dauid, duc me ad cuneum illum? qui ait, iura mihi per Deum. Nomen est Elohim, quod non occides me neque trades me in manum domini mei, & ego ducam te ad cuneum illum.

Duxitque eum: & ecce discumbebant super faciem totius terrae, comedentes & bibentes & festum agentes ob cunctam praedam magnam quam tulerat de terra Pelisthim & de terra Iehuda. Et percussit eos Dauid a crepusculo vsque ad uesperam alterius diei: & non euasit ex eis quisquam, praeter quadringentos viros adolescentes qui equitauerunt super camelos & fugerunt. Eruntque Dauid omnia quae tulerant Hamalecithae: & duas uxores suas eruit Dauid. Et non defuit eis a paupero vsque ad magnum & vsque ad filios & filias, & a praeda vsque ad omnia quae tulerant sibi: omnia reduxit Dauid. Tulitque Dauid omnes onas & boues: duxerunt ante gregem ipsum, & dixerunt, haec est praeda Dauid.

**V**enitque Dauid ad ducentos viros qui lassii substituerat nec se qui potuerant Dauid, iuxta Hebraum habetur, qui se reuerunt a sequendo Dauidem & manserunt in torrente befor. nec etiam

etiam hic aliquid dicitur de lassitudine, qui egressi sunt obviam Dauidi & populo qui erat cum eo: accessitq; Dauid ad populum, & saluauit eos pacifice. Respondit autem omnis vir pessimus & iniquus. Iuxta Hebraum habetur, malus & malignus de viris qui ierant cum Dauid, ut intus & extra describitur malitia illorum. & dixerunt, quia non uenerunt nobiscum non dabimus eis de praeda quam erimus, sed reducet unusquisque uxorem suam & filios suos & ibunt. Dixit autem Dauid, non sic facietis fratres mei de iis quae dedit dominus nobis, & custodiuit nos & dedit Cuneum qui uenit contra nos in manum nostram. Nec quisquam audiet uos in sermone hoc: equa enim pars erit de descendens ad praedium & remanens ad sarcinas & similiter diuidet. Hebraice habet, quia sicut portio descendens ad praedium & sicut portio sedentis super uasa simul diuident. Hinc apparet quod isti duceti qui substituerat in torrente, substituerunt super uasa: hoc est ad custodiam reru, ut expeditiores quadringenti persequerentur hostes. Et fuit a die illa & super pra: positum est hoc in statutum & iudicium in Israel usque ad diem hanc.

Venitq; Dauid in Ziclag: & misit de praeda senioribus Iehuda propinquis suis dicendo, accipite benedictionem de praeda inimicorum Domini. Appellat benedictionem munus pro gratiarum actione: benedictio enim pro gratiarum actione sumitur. Et sententia est clara cum subiunctis, commemorant enim diuersarum terrarum habitatores, quibus Dauid misit munera ad gratias referendum illis. Iu qui erat in Bethel & iis qui erat in Ramoth ad meridiem & iis qui erat in Latthir. Et iis qui erat in Haroher & iis qui erat in Siphmoth & iis qui erat in Esthemoah. Et iis qui erat in Rachal & iis qui erat in ciuitatibus Ierach meeli & iis qui erat in ciuitatibus Ceni. Et iis qui erat in Chorma & iis qui erat in Borhasan & iis qui erat in Hathach. Et iis qui erat in Chebron: & omnibus locis in quibus ambulauerat Dauid ipse & viri eius.

## CAP. XXXI.

**E**listhim autem pugnabant cum Israel: & fugerunt viri Israel de facie Pelisthim & ceciderunt interfecti in monte Ghilboah. Affecitque sunt Pelisthini Saul & filios eius, et percusserunt Pelisthini Iehonathan & Abinadab & Malchisua filios Saulis. Totumq; pondus praedae uersum est in Saul: & cõsecuti sunt cum viri sagittarii, iuxta hebraum habet. Et aggravatum est praedium ad Saul & inuenit eum iaculatores viri in archu. Declaratur aggravatio praedae in Saul in hoc quod sagittae emissae a Pelisthaeis archu inueniunt Saul: hoc est peruenerunt ad eum, & vulnerati



est vehementer. Iuxta Hebræum habetur. & timuit valde à iaculatoribus. Proculdubio propter vulnera sagittarū timuit nō posse euadere, sed incidere in manus Pelisthinorum adhuc viuus. Dixitq; Saul armigero suo, euagina gladium tuum & perfode me illo ne veniant incircumcisi isti & perfodiant me & illudās mihi: & noluit armiger eius: fuerat enim nimio terrore perterritus. Iuxta Hebræum habetur. quia timuit valde. interficere regem suum. arripuit itaque Saul gladium & cecidit super eum. Hinc apparet tum damnatio Saulis, utpote qui interfecit seipsum. tum mollities animi eius non valentis sufferre illusiones à Pelisthinis. nam ad euitandas huiusmodi illusiones seipsum peremit: quod etiam philosophi molli animo tribuunt. Viditque armiger eius quod mortuus esset Saul: & cecidit etiam ipse super gladium suum & mortuus est cum eo. Mortuusque est Saul & tres filij eius & armiger eius & etiam omnes viri eius in die illa praeriter. Videntes autem viri Israel qui erant trans vallem & qui erant trans Iarden quod fugissent viri Israel, & quod mortui essent Saul & filij eius, reliquerunt ciuitates & fugerunt: veneruntque Pelisthim & habitauerunt in eis. Ne intelligas hæc eadem die gesta: sed tam desertionem ciuitatum istarum ab Israelitis quam habitationem earundem à Pelisthinis subsequutam postea, scriptam tamen ante expoliatos mortuos ad terminandum historiam malorum quæ secuta sunt immediate in Israel ex hoc prælio. Suspicio has esse ciuitates quas olim restituerant Pelisthini Israeli tempore Samuelis.

In castro autem venerunt Pelisthim ad expoliandū interfectos: & inuenerunt Saul & tres filios eius iacentes in monte Ghilboah. Et absciderunt caput eius & spoliauerunt arma eius: miseruntque in terram Pelisthinorum per circumitum ut annunciaretur in domo idolorum suorum & populo. Et posuerunt arma eius in domo Hachathoth: corpus vero eius suspendunt. Iuxta Hebræum habetur. scelerunt. hoc est firmauerunt affigendo ligno, vel elauo. in muro beth<sup>2</sup> san.

Audierunt autem habitatores Iabes Ghilhad quæ fecerant Pelisthim Sauli. Gratitude istorum describitur: utpote rependendum Sauli, qui liberauerat eos de manu Nahas regis Hamonitarum. Et surrexerunt omnes viri fortes & ambulauerunt tota nocte & tulerunt corpus Saul & corpora filiorum eius de muro beth<sup>2</sup> san: veneruntque viri Iabes Ghilhad. Iuxta Hebræum habetur. & venerunt ad Iabes. Reuersio describitur cum cadaueribus. Statimq;

timq; subiungitur. & conbuserunt ea ibi. hoc est in territorio Iabes. Et tulerunt ossa eorum & sepelierunt sub arbore in Iabes. Conbustis citius carnibus partibusq; mollibus, remanentia ossa sepelierunt sub arbore in Iabes vna cum cineribus corporū. & ieiunauerunt septem diebus. iuxta numerum dierū induciarum inter ipsos & Nahas regem Hamonitarum, infra quos liberauerat eos Saul.

Finit primus liber Semuelis.

## THOMAE DE VIO CAIETANI CARDINALIS SANCTI Xinti, in secundum librum Semuelis commentarij.

**E**V fuit postquam mortuus est Saul & David reuersus est à cedendo Hamalec, David mansit in Ziclag diebus duobus. Et fuit die tercio ecce venit vir è castris Saul, veste confissa & puluere cinis persus caput: & venit ad David, cecidit in terram & adorauit. Dixitque ei David, vnde venis? qui ait ad eum, de castris Israel fugi. Et dixit ad eum David, quod est verbum quod factum est, indica mihi. Legendum esset. quæ sunt res nuncia quæso mihi. Dictio enim Hebraica, quanuis proprie significet verbum, transfertur tamen ad significandum rem. qui ait, fugit populus de prælio, & etiam multi ceciderunt è populo & mortui sunt, & etiã Saul & Iehonathan filius eius mortui sunt. Dixitque David ad adolescentem. Iuxta Hebræum habetur. ad puerum qui nunciabat ei. tam hic quam inferius: sed Hebræi pueri nomine appellant etiã iuuenes, quomodo nosti quod mortuus sit Saul & Iehonathan filius eius? Et ait adolescens qui nunciabat ei: casu veni in montem Ghilboah. Sententia recte redditur, quanuis Hebraica verba multiplicentur. & ecce Saul incubebat super lanceam. Ne intelligas significari nisi fictam innixionem Saulis super lanceæ suæ hastile. finxit enim quoddam Saul sustinebat se super lanceæ suæ hastile, quasi super baculum. nam Hebraice clare significatur innixus. & ecce currus et equites appropinquabant ei. Respexitque post se & vidit me: vocauitque me, & dixi ecce me. Et dixit mihi, quis es? dixitque ad eum, Hamalecites sum. Vniuersa hæc mendacia esse, manifeste patet ex modo mortis Saulis scripto in præcedētis li. ca. ultimo: sed iste finxit